

luant. Corripiendi, quia hac agendi ratione id efficiunt, ut passim Sacerdotes omnes vituperentur, et de zelotypia et perversa æmulatione arguantur.

Quid igitur est, ô Sacerdos imprudentissime! quod adeo alicui mulierculæ adhæreas, ut, si alio semel divertat, eam velut infidelitatis ream reprehendas? Dic, quæso, undenam tanta tibi debetur fidelitas? numquid sacro fœdere cum devotula fuisti devinctus? Quid times? numquid reformidas ne hæc ovicula tuum ovile deserat? Quid tanti foret mali? minimi sane: nam onere eam dirigendi, et de ea in tremendo Dei iudicio rationem reddendi careres; dum ipsa probabiliter æque pingui et etiam pinguiori pabulo nutriretur. Quod si vir pœnitens aliquando apud alium sarcinam peccatorum deponat, parum ex hoc commoveris; unde discrimen? Numquid anima viri non tam tibi cara est, quam anima mulieris? Adhuc de una re te interrogatum volo: Numquid tu ipse fidelitatem proprio Confessario servasti? nonne quandoque ad alium sine scrupulo divertisti? Quare igitur beneficium quo uteris pro te ipso, pœnitentibus negares? Quid rei respondendum in promptu haberes, si quondam tibi conquerenti et objurganti mulier responderet, sicut novi aliquam reposuisse: Quare tu ipse aliquando Confessarium mutas? Proterva quidem, sed non insana responsio! *Recole dicta supra, de statu clericali, cas. 15, n. 71, et præsertim verba gravissima D. Thomæ ibidem relata.*

CASUS IX.

PECCATA DUBIA.

HUBERTUS, vir neque timoratæ neque laxæ conscientiæ, varia peccata dubia in confessione prætermisit, ratus se nulla obligatione ea declarandi obstrictum esse, scilicet: 1° Olim dubitans utrum delectationi morosæ consensum præbuerit, et utrum peccatum talis speciei vel in tali numero patraverit, illud reticuit, hoc principio innixus, nempe: *Nulla datur obligatio, nisi de ea certo constet.*

2° Alia vice etiam peccatum aliquod omisit inter confitendum, quia causæ aderant utrinque dubitandi utrum lethaliter deliquisset, vel venialiter tantum.

3° Alias sciebat quidem et certo se aliquod peccatum patrasse, nec ignorabat illud esse certo grave; sed graviter dubitabat an illud jam in aliis confessionibus accusavisset, necne; hæsit anceps aliquandiu, modo declarationem faciendam, modo in eam omittendam propendens. Tandem illud peccatum prætermittere statuit, ratus se posse hac in re uti sententia probabili sibi favente.

HINC:

QUÆR. 1° *An adsit obligatio confitendi peccata dubie commissa?*

2° *An accusanda sint peccata dubie gravia?*

3° *Quid de peccatis certo commissis et certo gravibus, sed jam probabiliter in confessione declaratis?*

4° *Quid de HUBERTO sentiendum?*

SOLUTIO:

445. — *R. ad 1^m Quærs. Neg. probabilius*, nisi agatur de dubio mere practico, ex quo scilicet conscientia minime efformari potest, nec omissa fuerit seria diligentia ad dubium discutiendum. Ratio est, quia tunc agitur de lege dubia quæ non obligat. Etenim, ex *Trid.*, accusari debent peccata mortalia quorum habetur conscientia; atqui non habetur conscientia peccatorum dubiorum, siquidem conscientia nihil aliud est quam cordis scientia, seu iudicium practicum de peccato commisso. *S. Lig. n. 473.*

446. — *R. ad 2^m Quærs. Neg. etiam probabilius, per se*, saltem speculative loquendo, ob easdem rationes ac modo supra. Etenim lex peccata mortalia tantum respicit: ergo, si non constat de peccato mortali, de obligatione legis non constat. Sed supponitur pœnitens qui, in re de qua agitur, ordinarie discernere possit inter peccatum mortale et veniale, quia secus conscientiam suam efformare non posset. *V. Comp. n. 478.*

R. ad 3^m Quærs. Magis adhuc controvertitur in hoc casu, ac in præcedentibus. Plures Doctores urgent obligationem confessionis, quia, ut aiunt cum *S. Lig.*, quando peccata sunt certa, requiritur etiam confessio certa; non satisfit enim obligationi certæ per adimpletionem dubiam. Attamen sententia libertati favens vere probabilis videtur, quia obligatio confessionis in hoc casu probari nequit. *V. Comp. t. 1, n. 80.*

Cæterum, in praxi, stante dubio, tutior pars semper suadenda est, præsertim ad periculum hallucinationis declinandum. Imo, pœnitentes laxæ conscientiæ ad hanc tutiorem partem sequendam adigendi sunt, quia præsumptio contra eos militat. *V. Comp., a n. 477, ad n. 480.*

R. ad 4^m Quærs. Quid igitur de HUBERTO? Rigorose loquendo non videtur inquietandus, quia, cum non sit vir laxæ conscientiæ, atque ex rationibus solidis iudicium suum efformavevit, opinione sua probabili uti potest.

CASUS X.

CIRCUMSTANTIE PECCATORUM 1°.

CLEMENS, Sacerdos, docet publice in concionibus, et privatim confessiones excipiendo, nullam prorsus dari obligationem declarandi circumstantias aggravantes; imo, et inutiliter atque nocenter eas declarari: hoc enim, ait, non inservit nisi ad terendum tempus, ad confessiones protrahendas, ac pœnitentes perturbandos; proindeque ab iis accusandis pœnitentes retrahit et prohibet.

MINUTIUS autem, alius Sacerdos, CLEMENTI publice contradicit et docet, e suggestu circumstantias aggravantes esse in omni casu necessario accusandas juxta Concil. *Trid.* et Catechismum Romanum: hinc ipse minutatim pœnitentes interrogat de omnibus circumstantiis etiam ad sextum præceptum pertinentibus; imo cogit omnes pœnitentes a Confessariis oppositæ sententiæ absolutos, ad confessiones iterandas, ob integritatis de-

fectum. Hinc mirantur fideles et dicitant ne ipsos quidem Sacerdotes ea quæ sunt Religionis callere, et ita de Fide actum esse.

HINC :

QUÆR. 1^o *An accusandæ sint circumstantiæ notabiliter aggravantes, quæ tamen speciem peccati non mutant?*

2^o *Quid de ratione agendi utriusque Sacerdotis?*

3^o *Quid in praxi faciendum? vel quid expediat?*

SOLUTIO :

447. — *R. ad 1^m Quæs. Neg. probabilis* cum sententia communi Theologorum. Ratio est, quia datur tantum obligatio accusandi peccata cum eorum numero et speciebus, ut constat ex Conc. Trid. Atqui illæ circumstantiæ, licet notabiliter aggravantes, per se solas, peccata non constituunt. Præterea sæpe impossibile est distinguere quænam sint circumstantiæ aggravantes; et proinde, si daretur hujusmodi obligatio, tum Confessarii, tum pœnitentes jugibus scrupulis obruerentur et inter angustias et perplexitates perpetuo fluctuarent.

Objectiones adversariorum.

448. — *Objectio prima.* Currit eadem ratio pro accusandis circumstantiis aggravantibus, ac pro accusandis circumstantiis speciem mutantibus; priores enim sicut posteriores iudicium Confessarii notabiliter mutant.

R. Neg. paritatem; circumstantiæ enim mutant speciem declarari debent, quia novam et specialem malitiam addunt, et proinde novum peccatum inducunt, et etiam quia in præcepto evidenter continentur. Nec obstat, quod iudicium Confessarii per circumstantias aggravantes mutetur; nam iudicium Confessarii de lege divina cognita necessario tantum ferri debet circa speciem et numerum peccatorum. Cætera ad iudicium illud mere accidentalia sunt.

Objectio secunda. Peccatum, circumstantiis notabiliter aggravantibus adauctum, pluribus peccatis æquivalet: ergo, si numerus sit accusandus, pariter circumstantiæ illæ accusari debent.

R. Dist. Pluribus peccatis æquivalet, ratione offensæ Dei, *conc.*; ratione peccati clavibus subjiciendi, *neg.* Peccatum enim illud cum circumstantiis constituit unum actum moralem, qui quoad substantiam suam tantum declarandus est.

449. — *Objectio tertia.* Si non declarentur illæ circumstantiæ, Confessarius non potest injungere pœnitentiam proportionatam, ut a Trid. requiritur.

R. Pœnitentia sacramentalis non debet mathematicè proportionata esse, ita ut respondeat omnibus gradibus extensionis et intensitatis peccati. Requiritur enim tantum ut servetur quædam æqualitas, quæ observari potest pro numero et speciebus peccatorum.

Objectio quarta. Non licet uti, in materia Sacramentorum, opinione probabilis, ut patet ex propos. 1^a ab Innoc. XI damnata.

R. Dist. Quando agitur de materia necessaria necessitate Sacramenti, *conc.*; necessaria necessitate præcepti, *neg.* Porro in præsentis casu materia non est necessaria in priori sensu, quia integritas materialis non requiritur ratione Sacramenti, sed tantum ratione præcepti. Insuper, de præcepto dubio agitur. Ergo...

450. — *Objectio quinta.* Circumstantiæ pertinent ad materiam necessariam, quia, si pœnitens a Confessario interrogetur, tenetur ea fateri; atqui jus interrogandi ex parte Confessarii supponit obligationem ea declarandi ex parte pœnitentis. Ergo...

R. Dist. Tenetur pœnitens respondere Confessario prudenter interroganti *per accidens* ratione directionis, *Conc.*; per se, ratione integritatis confessionis, *neg.* Potest igitur teneri aliquando respondere de aliqua circumstantia, licet eam sponte minime aperire teneretur.

Objectio sexta. Constat ex Rit. Romano confitendas esse circumstantias notabiliter aggravantes; dicit enim de Sacramento Pœnitentiæ: *Si Pœnitens numerum et speciem et circumstantias explicatu necessarias non declaret, eum Sacerdos prudenter interroget.*

R. Facile intelligi potest Rit. Rom. de obligatione confitendi aliquas circumstantias ratione censuræ forte adnexæ, aut casus reservati, etc. *S. Lig. n. 468.*

451. — *Objectio septima.* Constat ex Catech. Rom., *de Conf., P. II, n. 63,* ubi dicitur esse explicandas circumstantias quæ gravitatem valde augent, vel minuunt.

R. Textus ille sat obscurus videtur, sed sufficienter explicatur doctrina communi Theologorum et Confessariorum romanorum, necnon doctrina *S. Ligorii,* quæ a S. Sede approbata fuit. Insuper hoc nimis probaret, quia ex illo textu deberent etiam necessario accusari circumstantiæ notabiliter minuentes, quod est contra doctrinam et praxim communissimam, et magnam involvit repugnantiam. *S. Lig. ibidem.*

452. — *R. ad 2^m Quæs. 1^o Quid de ratione agendi utriusque Sacerdotis?* Errat uterque. Errat quidem CLEMENS asserendo, esse simpliciter inutile aut nocivum accusare circumstantias notabiliter aggravantes; hoc enim *per se* est falsum, quia *per se* utile est, si fiat absque scrupulo, seclusa obligationis persuasionem, etc. Si vero hoc quandoque nocivum sit, est mere *per accidens.* Perperam insuper agit hæc e pulpito docendo, ut luculenter patet.

2^o Errat etiam, et multo magis MINUTIUS, socio publice contradicendo, cum ingenti fidelium scandalo. Errat, docendo dari obligationem accusandi præfatas circumstantias. Errat quoque pœnitentes imprudenter interrogando, contorquendo et vexando, ut minimas circumstantias ab eis exquirat. Errat imprimis de sexto præcepto minutatim inquirendo, absque ulla necessitate et cum pœnitentium offensione.

453. — *R. ad 3^m Quæs.* In praxi expedit, *ordinarie loquendo,* ut circumstantiæ notabiliores in confessione declarentur; et id fidelibus valde suadendum est generatim ad eorum majorem consolationem, humilitatem et fructum uberiorem ex Sacramentis percipiendum; item ad impediendas animi anxietates, v. g. ne forte circumstantiæ speciales, præsertim enormes, sint reservatæ, aut species peccati diversas constituent. Confes-

sarius tamen communiter abstinebit a petendis circumstantiis tantum aggravantibus peccatorum carnalium, ne forte penitenti et sibi ipsi creet scandalum, neque permittet ut penitens eas minutatim exponat, nisi prudenter ad ejus anxietatem sedandam aliquando expediat. *Ita communiter.*

CASUS XI.

CIRCUMSTANTIE PECCATORUM 2°.

1° PASCHASIVS, juvenis, in peccatum turpe semel lapsus est cum propria sorore, cum consobrina germana, et cum uxore fratris sui. Cum autem ad meliorem frugem sese recepisset, ad pedes Confessarii provolvitur, et cum magna contritione declarat, se cum tribus mulieribus sibi conjunctis turpiter egisse.

2° FLAVIA, mulier, plures imprecata est patri, fratri, consobriño, avunculo, et ipsi Confessario; et erga eosdem odium et desiderium vindictæ fovit. Confitetur autem quod quoties imprecata fuerit, toties odium et desiderium vindictæ habuerit erga varias personas, quin earum qualitatē exprimat.

HINC :

QUÆR. 1° *An PASCHASIVS integritati confessionis satisfecerit? vel an gradus consanguinitatis et speciem propinquitatis declarare debuerit?*

2° *An FLAVIA satis peccata sua explicaverit? vel an debuerit dicere, imprecationes, odia et desideria vindictæ spectasse ad patrem, ad fratrem, etc.?*

SOLUTIO :

454. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° PASCHASIVS integritati confessionis non satisfecit, quia tacuit circumstantiam adulterii cum uxore fratris sui patrali. Debuisset igitur saltem addere, unam e tribus mulieribus esse matrimonio ligatam.

2° Debit etiam declarare incestum cum propria sorore, seu in primo gradu lineæ collateralis. Ratio est, quia reverentia quæ debetur sororibus et fratribus est diversæ rationis, ac ea quæ aliis consanguineis collateralibus tribuenda est. Id ex eo patet quod Ecclesia nunquam dispenset ab impedimento in illo gradu ad matrimonium contrahendum. *Ita communiter cum Lugo et Lacroix.* Attamen *S. Lig.* habet sententiam oppositam ut probabilem, ex eo quod talis copula non sit vetita de jure naturali, ut patet, ait, exemplo filiorum Adæ. Sed responderi potest copulam hanc prohiberi saltem de jure naturali lato, et magis quam prohibetur polygamia, cum unica exceptio ob necessitatem facta sit.

455. — 3° Probabilius PASCHASIVS non debuit declarare gradum consanguinitatis quoad consobrinam, quia cæteri gradus videntur tantum circumstantiam aggravantem inducere. *S. Lig. n. 470, et alii communius, contra Concina, etc.* Neque debuit exprimere gradum affinitatis quoad

uxorem fratris sui, quia, si excipiatur gradus primus in linea quasi recta, seu inter socerum et nurum (*beau-père et belle-fille*), et inter privignum et novercam (*beau-fils et belle-mère*), probabilius peccatum luxuriæ non mutat speciem pro variis gradibus; neque necesse fuit distinguere inter propinquitatem ratione consanguinitatis, vel affinitatis. *S. Lig. n. 470, ubi testatur esse doctrinam communem Theologorum. V. Comp. n. 486.*

456. — *R. ad 2^m Quæs.* FLAVIA deliquit in integritate Confessionis omitendo declarare imprecationes, etc. in patrem vel in fratrem in specie, ob strictum pietatis vinculum. Illæ enim injuriæ graves declarandæ sunt, saltem quando agitur de propinquitate propiori, quia est defectus pietatis omnino specialis; cum opponatur amori reciproco quem sibi invicem debent proxime conjuncti. Hinc præfatæ injuriæ declarari debent: 1° quoad parentes et filios, imo quoad avos et nepotes, in linea recta; 2° quoad affines in primo gradu lineæ quasi rectæ: 3° item quoad paternos et filiolos, seu patres et filios spirituales, quia ibi adest *quasi-paternitas et quasi-filiatio*; 4° quoad conjuges, quia, cum sint una caro, debent esse *cor unum et anima una*; 5° quoad fratres, vel affines in primo gradu lineæ collateralis, quia conjunctione omnino speciali uniuntur (1).

457. — Non autem necesse fuit ut FLAVIA designaret in specie alios quos injuria gravi affecit, quia injuriæ etiam graves inter alios consanguineos et affines *probabilius* specialem malitiam non contrahunt, licet in gradibus pro matrimonio prohibitis versentur. Ratio est, quia, cum sit remotior conjunctio, non tantus amor, præ cæteris extraneis, ipsis debetur, ut injuriæ istis illatæ diversam malitiæ speciem constituent. *Lugo, D. 16, n. 508, cum aliis contra plures, qui volunt ut omnes gradus pro matrimonio prohibiti in confessione exprimantur.*

Neque debuit FLAVIA circumstantiam Confessarii exprimere *per se*, quia, licet sit velut pater spiritualis, nulla tamen affinitas spiritualis cum illo contracta est. Attamen species in eo casu mutari potest ratione Sacerdotii, nempe, si dignitas Sacerdotis vel Religionis graviter læderetur, aut ejus persona male tractaretur, vel desiderium male illum tractandi haberetur.

CASUS XII.

CIRCUMSTANTIE PECCATORUM 3°.

ANATOLIUS, Parochus, cum infeliciter in peccatum carnis lapsus esset cum ancilla sua, quæ simul erat parochiana et filia confessionis, seu penitens, ac postea sacrilege celebrasset, induta laicali veste, ad locum dissitum tendit, confitendi gratia, seque accusat quod, ligatus voto castitatis, cum aliqua muliere peccaverit, et sacrilege communicaverit.

(1) *NOTA.* Injuriæ in bonis fortunæ, parentibus vel aliis propinquis irrogatæ, minime speciem peccati mutant, si excipias casum in quo parentes, pro quantitate furti, amitterent id quod necessarium esset ad vivendum, et proinde id quod filius ex pietate ipsis dare teneretur.

HINC :

- QUER. 1° *An ANATOLIUS integre confessus fuerit, omittendo circumstantiam peccati cum pœnitente commissi?*
 2° *An omittendo circumstantiam ancillæ?*
 3° *An omittendo circumstantiam parochianæ?*
 4° *An omittendo circumstantiam Missæ sacrilegæ?*

SOLUTIO :

458. — *R. ad 1^m Quæ. Affirm.* probabilius *per se*. Non debuit enim necessario patefacere circumstantiam peccati cum propria pœnitente patradi. Ratio est, quia Confessarius ex officio stricte tantum tenetur ad rectam directionem in tribunali præbendam, neque ulla spiritualis cognatio inter Confessarium et pœnitentem ex confessione oritur. *Lugo.* — *Lacroix.* — *S. Lig. l. 3, n. 451, contra alios non paucos.*

Dixi *per se*, quia circumstantia specifica daretur, si peccatum cum confessione relationem haberet, v. g. si adfuisset sollicitatio in confessione, vel occasione confessionis, etc., ob sacrilegium et injuriam maximam que tunc Sacramento Pœnitentiæ irrogaretur. *Lugo, n. 351.*

459. — *R. ad 2^m Quæ. Affirm.* etiam probabilius. Circumstantia enim famulatus speciem peccati non mutat. Ratio est, quia herus, ancillam admittendo ad famulatum, cum ea de re temporali tantum contrahit, nempe de tanto pretio, de servitio annuo vel menstruo solvendo; nec intendit se obligare tanquam ex officio ad spiritualem ejus animæ curam suscipiendam. Attamen in casibus particularibus facile obligatio specialis intervenire potest pro hero, v. g. si puella junior ipsius custodiæ a parentibus committatur, quia tunc quasi-contractus intercedit.

460. — *R. ad 3^m Quæ. Negant plures.* Ratio est, quia circumstantia peccati cum parochiana commissi speciem particularem deformitatis inducit. Ad Pastorem enim ex officio pertinet oviculam suam sedulo custodire, et a periculis avertere. Quid igitur, si pastor, repente in lupum mutatus, eam voraverit? *Ita S. Lig. l. 3, n. 451; alii tamen oppositam sententiam tenent.*

461. — *R. ad 4^m Quæ. Neg.* etiam; ANATOLIUS enim non satisfecit integritati confessionis prætermittendo Missam in statu peccati mortalis celebratam, quia, dicendo quod communicaverit sacrilege, tacet tum indignam celebrationem, tum indignam sibi indigno SS. Eucharistiæ administrationem. Seclusa autem celebrationis circumstantia probabiliter satisfecisset dicendo se voto castitatis ligatum esse. *Lacroix, n. 1060, et alii graves Theologi.*

CASUS XIII.

MANIFESTATIO COMPLICIS.

Et illius qui fuit occasio peccati.

1° BERTOLDUS infandum incestus crimen patravit cum sua sorore unica, Parocho notissima, hujusque nepoti proxime nuptura. Urget tempus Pas-

chale, nec miser alteri quam Pastori suo confiteri potest. Hæret diu anxius et dubius, an possit vel debeat peccatum illud cum sorore sua commissum confiteri cum tanta sororis suæ apud Parochum infamia. Jamjam peccatum erat omisurus, cum, secum cogitando et recogitando, modum invenit se e tantis ambagibus eripiendi, et sic confitetur: *Incestum semel cum consanguinea commisi.*

2° ÆGIDIUS, advertens sororem suam a CAIO, amasio suo, gravidam esse, actus in rabiem, eam graviter percutit, et sic ejus abortum procurat. Facti pœnitens, confitetur quidem gravem sororis percussionem, sed circumstantiam ejus prægnationis et mortis fœtus reticet, ne crimen illius detegat Confessario, a quo tam ipse quam tota familia perfecte cognoscitur.

HINC :

- QUER. 1° *An accusandum sit peccatum quod declarari nequit sine complicis manifestatione?*
 2° *An peccatum declarari possit Confessario complicem cognituro, si alius Confessarius non desit?*
 3° *An sit obligatio declarandi peccatum mortale quod accusari nequit sine infamia alterius qui fuit occasio aut objectum peccati?*
 4° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

462. — *R. ad 1^m Quæ. Affirmant communius et probabilius.* Ratio est, quia nulla datur ratio legitima a peccato confitendo excusans. Incommodum enim illud quod sequitur ex manifestatione complicis, est ipsi confessioni intrinsicum. Secus enim in locis bene multis, ubi fideles omnes a Parocho vel etiam ejus adjutoribus cognoscuntur, jam rueret ex magna parte confessionis præceptum. Parentes enim, filii, conjuges, plerumque a peccatis declarandis excusarentur, quod absurdum est. *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 589.* — *Billuart, diss. 7, art. 2, § 2.* — *Lugo, D. 16, n. 420.*

Alii tamen non pauci probabiliter negant. *Ita Busemb., Diana, Mazzotta, Navarrus, Medina, Elbel, etc.* — *V. Comp. n. 499.*

463. — *R. ad 2^m Quæ. Neg.,* si facile alius Sacerdos adiri possit. Sed facile etiam dantur causæ excusantes. Insuper seclusa quoque causa excusante, generatim grave peccatum non esset, si Confessarius ordinarius servaretur. *V. Comp. ibid.*

R. ad 3^m Quæ. Affirm. Sequitur ex responsione ad primum *Quæ.* Etenim ratio integritatis confessionis non minus exigit manifestationem alterius non complicis, quam complicis quando aliter integra fieri nequit. *Lugo, D. 16, n. 420.* — *Billuart, diss. 7, art. 2, § 2.* — *Antoine, de Pœnit. c. 1, art. 2, contra Reuter, n. 331, — et Suarez, disp. 34, sect. 2.*

464. — *R. ad 4^m Quæ.* — *Ad 1^m casum BERTOLDUS tenetur dicere se incestum commisisse cum consanguinea in primo gradu lineæ, collateralis, vel brevius, cum sorore sua.* Sequitur ex dictis supra in responsione ad

1^m *Quæ*s. Attamen juxta *S. Lig. probabiliter* satisfaceret, dicendo : *Pecavi cum consanguinea*. Licet autem minime mihi placeat hæc sententia, attamen, cum sit tanti Doctoris, eam sequentes damnare non possum.

465. — *Ad 2^m casum*. Quid tibi videtur de *ÆGIDIO*? Res difficultate non caret. Ex una parte non apparet quod peccatum suum in specie declarare possit, quin præfatas circumstantias manifestet. Attamen, juxta plures, seorsim utrumque peccatum confiteri valeret, scilicet gravem sororis percussione, et abortum mulieris procuratum. Nec dicas quod sic omitteret circumstantiam specificam consanguinitatis quoad fœtum occisum; nam, *probabiliter*, mala tractatio cognatorum non inducit speciem novam peccati, nisi agatur de consanguineis lineæ rectæ in primo et secundo gradu, ut dictum est supra *n. 457*. Porro infans occisus, seu filius sororis, est in tertio gradu consanguinitatis lineæ collateralis, et proinde erga eum non specificè læditur virtus pietatis. *Lugo, D. 16, n. 298 et seq. — Salmant, etc.*

Igitur, si loco sororis *ÆGIDIUS* percussisset matrem viduam, per crimen gravidam, ex difficultate se extricare non posset, et omnes circumstantias declarare deberet.

CASUS XIV.

INQUISITIO DE NOMINE COMPLICIS.

1^o *THERSILIA* accedit ad *RUFINUM*, Confessarium, et de peccato gravi consortii cum aliquo viro se accusat. Tum *RUFINUS*. « Estne cognatus tuus ille? — Sane in Adamo. — Estne proximus? — Utique, de proximo meo. — Est vicinus? — Plus vel minus. — Quis est igitur ille? Quo modo vocatur? — Vocatur eo nomine quod in baptismo sortitus est. — Insolescis, proterva mulier! Vade: te absolvere nequeo, quia assequi non possum quænam et quanta sit occasio peccandi in qua versaris. »

2^o *JULIUS*, vir in regione sua conspicuus, eidem *RUFINO* confitendo, se accusat de peccato turpi pluries patrato cum aliqua muliere. Audivit autem *RUFINUS*, *JULIUM* male olim versatum esse cum propria ancilla, quam propterea dimittere coactus est. Hinc suspicatur graviter, pœnitentem cum nova famula peccasse et proinde adesse occasionem *proximam in esse*. Igitur interrogat: « Estne serva? — libera, reponit alter. — Estne famula? — Est famula Dei, de genere filiarum Evæ. — Sed habitatne in domo tua? — Sed, Pater, hoc ad confessionem pertinere non videtur, » reponit iterum *JULIUS*. — Confessarius autem, cum non potuerit plura a pœnitente extorquere, eum, licet ægre, absolvit et dimittit.

HINC :

- QUÆR.* 1^o *An liceat Confessario petere nomen complicis?*
 2^o *An id liceat saltem ad correctionem, vel bonum publicum?*
 3^o *An vero liceat Confessario inquirere de circumstantiis, ex quibus in notitiam complicis deveniet?*
 4^o *Quid de RUFINO Confessario in duplici casu?*

SOLUTIO :

466. — *R. ad 1^m Quæ*s. *Neg.* Constat ex Bulla *Bened. XIV : Ubi primum*, in qua Summus Pontifex declarat Confessarios, qui requirunt nomen complicitis sub pœna denegandæ absolutionis, peccare graviter, et eos incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendæ sententiæ tantum. *V. S. Lig. n. 491.*

467. — *R. ad 2^m Quæ*s. 1^o Non licet ad correctionem, quia prohibitio est generalis, severa et absoluta. Præterea, illa correctio semper Sacramentum Pœnitentiæ odiosum redderet.

2^o Neque licet etiam ratione boni publici procurandi, ob eandem rationem. Sed, ubi agitur de damno publico impediendo, potest et debet Confessarius, ommissa interrogatione de nomine complicitis, obligare pœnitentem ut ipse manifestet suum complicem alicui, a quo malum impedi potest. *S. Lig. n. 491-492.* Liceret tamen petere nomen complicitis, si revelatio esset necessaria, nec per alium quam per Confessarium fieri posset. *Lugo, de Penit., D. 17, n. 427 et seq.*

468. — *R. ad 3^m Quæ*s. *Affirm.* quoties interrogatio spectat ad integritatem confessionis, vel ad debitam pœnitentis directionem. Imo sæpe tales interrogationes facere debet, ut munus suum rite adimpleat: sic, v. g. petere potest an persona de qua agitur sit in primo vel secundo gradu consanguinitatis, ut peccati speciem discernat; an sit voto ligata, an complex in eadem domo versetur, et alia similia, licet hoc modo in cognitionem complicitis veniat. *S. Lig. n. 491.*

469. — *R. ad 4^m Quæ*s. — *Ad 1^m casum* *RUFINUS* graviter peccavit *per se*, ut constat ex responsione ad 1^m *Quæ*s. Attamen ejus imprudens interrogatio a peccato mortali excusaretur, si non postulasset nomen sub pœna denegandæ absolutionis.

Ad 2^m casum. Potuit et debuit *RUFINUS*, stante casu, *JULIUM* speciatim interrogare de qualitate occasionis, ut sciret an esset occasio *proxima*, vel occasio *in esse*, seu in eodem contubernio; quia ex his Confessarius dirigitur ad absolutionem dandam vel differendam, aut ad pœnitentem magis vel minus urgendum, ut statim occasionem etiam ante absolutionem dimittat. Ergo recte non egit *RUFINUS* absolvendo *JULIUM*, naturam occasionis patefacere nolentem.

CASUS XV.

PECCATA EX OBLIVIONE OMISSA 1^o.

ROSALIA, recordans de peccato gravi in confessione modo peracta omisso, nihilominus ad sacram Synaxim accedit, et in sequenti confessione casum *SEVERINO*, Confessario, exponit. At ille: « Scitô, filia; inquit, horrendum esse si quis accedat ad sacram Synaxim, conscius peccati gravis in confessione non declarati, teque damnandam fore si tanto salutis discrimini te iterum committas, neque hac vice te absolvere valeo. » — Obstupefacta mulier recta perguit ad alium Sacerdotem, *BENIGNUM*